

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disquisitio XXXIV.

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente,

CHRISTOPHORO ZIMMERMANNO

Wolckensteinio Misnico

Dominica III. post Trinitatis

A. O. R. cl. lxx. iiii.



HALLIS SAXONUM

*Prelo Heredum Melchioris Oel-
schlegelij*

In unfero.

EVANGELIARUM

Disputatio XXXIX

PRÆSIDII

CHRISTIANO GUENZIO

Gymnasii Hallensis

Refo. rectori


Respondens

CHRISTOPHORO TAMMERMANNIO

Magistro

Dominicae III. post Trinitatis

M. D. C. C. L. III.



FRIDERICUS SAXONUM

Electores Archiepiscopi

Magistri

Dr. Ing. G. G. G.





ANALYSIS
EVANGELII
DOMINICA III. POST TRI-
NITATIS

Luc. 15. à v. 1. usq. ad 11.

ANTELOGIUM.



*Habet Esaias c. 44. v. 3. Effun-
dam super sitientem aquas, &
fluenta super aridam. Verba
consolatione plenissima, & sitien-
tibus peccatoribus gratissima,*

*dum non tantum aquam refocillationis; ve-
rùm etiam fluenta misericordiarum & gratia-
rum Deum effusurum attestantur. Quem-
admodum etiam ipse Christus Iesus, uti invi-
tando eadem repetit humaniter Matth. 11, 28.
ita confirmando ostendit potenter in hodierno
Evangelio, in quo*

THESIS I.

*H*abetur verus ad DEUM conveniendi
& redendi modus: dum Deus non de-
lecta-



lectatur morte impij, Ezech. 18, 23. & 33, 11. sed venit Iesus in hunc mundum peccatores salvos facere, 1. Tim. 1, 15.

2. Ideoq; docetur partim per factum, quod probat peccatorum ad Christum appropinquatio, v. 1. in quo est ejus declaratio, respectu prædicati, quoad effectum perfecte: Accedebant autem. Postquam enim Christus, uti constat ex antecedentibus, disseruerat de prudentiâ adhibendâ in omnibus negotiis, potissimum in Christianismo, factum est, ut accesserint ex proposito emendanda vita, & discenda prudentia, habet glossa ordinaria. Siquidem nos peccatum segregat, Esa. 59, 2. facit veluti oves errare, Ps. 119, 176. Ergo accedamus iterum, si vitare velimus peccatum, necesse est; neq; enim nocent peccata præterita, si futura non placent, ait Augustinus. Et si homo cognoscit, Deus ignoscit, Proverb. 28, 13.

3. Relatè, ubi quoad objectum: ad Eum; Nempe ad Christum Iesum, utpote ad Dominum, & omnis prudentiæ Doctorem.

4. Respectu subjecti, inspecie: omnes publicani. Qui homines erant extremè avari, certâ pecuniæ summâ vectigalia à Romanis conducentes, & prolubitu supra modum

91

Immoderatis exactionibus præter omne ius & æquum tantoperè ea adaugentes, ut propter iniustas illas expilationes apud omnes pessimè audirent, & pro infamibus haberentur, licet apud Romanos in magno æstimo fuerint, uti colligitur ex orat. Cicerone pro Planco & 2. in Verrem: fueruntq; tam gentiles, quemadmodum Tertull. de pudic. cap. 9. probat ex Deut. 23, 20. quàm Iudæi, cum & Matthæus ex circumcissione, uti habetur cap. 9, 9. fuerit Iudæus; & ille, qui cum Phariseo in templo orabat Luc. 18, 10. Neq; enim credibile est, Dominum cum Ethnicis habuisse convivium, cum id maxime caveret, ne legem solvere videretur, primumq; venerit ad oves perditas domus Israel, ut habet Hieronym. in ep. ad Damasum. Assignat autem illis ipsis, August. serm. 3. fraudes, furta, sceleraq; & perjuriam. Et Basil. Seleuc. orat. 38. nominat inexplebiles, quorum fructus aliorum lacryma, & thesauri fuerint aliorum miseria. Hinc Chrysolog serm. 28. dicit, Publicanos in fornace avaritiæ coquos, & vinculis cautionis sic alligatos, & sacculorum ponderibus sic pressos fuisse, ut levare ad innocentiam difficulter potuerint. Dicuntur autem omnes per Synecdochen, h. e. omnis generis undiq; ad Christum properantes, Matth. 4, 24.

5. Et in genere: peccatores. *Qui καλ' ἐξοχλῶ* tales, publico aliquo scelere noti & insignes. Id quod Syrus innuit, dum talem vocem usurpat, qua peccatores celebres denotat, qualis fuit Maria Magdalena, Luc. 7, 37.

6. Tum ratio: ut audirent illum. Neq; enim ventris, sed animi causa, accesserunt; & ut ex concionibus ejus voluntatem Dei cognoscerent. Accedendus ergo est Christus, ad ipsum appropinquandum, uti passibus corporis, ita affectibus cordis. An enim expectare vis, habet Tom. de Kempis soliloq. 18. n. 5. ut dignus fias priusquam accedas? Ex te quando hoc poteris? si solum boni & digni, magni & perfecti viri mihi appropinquare debent, peccatores & publicani quem adibunt? Quid ergo Evangelium dicit? Et erant appropinquantes ad Iesum publicani & peccatores, ut audirent illum. Accedant igitur indigni, ut fiant digni: Accedant mali, ut efficiantur boni: Accedant parvi & imperfecti, ut fiant magni & perfecti: Accedant omnes, accedant singuli, ut accipiant de plenitudine fontis vivi. Illis enim, qui spe periclitantur, hoc dicitur, habet August. tract. 33. in Ioh. ne tardes converti ad Dominum: Illis qui desperatione periclitantur, quid dicitur? In quacunq;

die

93

die iniquus conversus fuerit, omnes eius iniquitates obliviscar. Ergo non differamus converti ad Dominum de die in diem, Sir. 5, 8. nec obduremus corda nostra, si audiverimus vocem eius, Ps. 95, 8. sed sequamur vocati, Matt. 9, 9. cum Matthæo, festinanter descendamus cum Zachæo, Jesum excipiamus, Luc. 19, 6. Et accedamus ad thronum gratia cum fiducia, Ebr. 13, 6. Ita appropinquabant isti tanquam infirmi ad medicum, tanquam rei ad patrum, tanquam peccatores ad misericordem, tanquam immundi ad lavacrum, tanquam oves erroneæ ad pastorem, tanquam cæci ad illuminatorem, ait Ardens. Ergo qui morbidus est, veniat, ut sanetur; qui tepidus est, veniat, ut accendatur; qui indignus est, veniat, ut confortetur; qui tristis est, veniat, ut eum consoletur; qui sapientiam concupiscit, ad Christi doctrinam veniat; qui divitias querit, veniat, ut accipiat æternas & incorruptibiles, habet Kempis, d. l.

7. Et est Phariseorum murmuratio, v. 2. in quo prædicatum est; murmurabant. Ex invidiâ, quod ipsis quasi innatum & congenitum erat. Vera quidem iustitia habet compassionem; falsa autem dedignationem, habet Gregorius hom. 34, in Evang.

Quiippe debuissent Eum potius laudare, quòd neminem fastidiret, sed omnes facile admitteret. Id faciunt non monendo, sed obtretdando. Monitor enim fidelis publicè arguit, obtretdator obmussitat & obmurmurat: Aperta reprehensio ex condolentiâ oritur, sed murmuratio ex invidentiâ, uti videre est in mussitante Caine, Gen. 4, 5. Esavo, Gen. 27, 41. Josephi fratribus, Gen. 37, 20. Saule, 1 Reg. 18, 8. Herode Ascalonitâ, Matth. 2, 8. Ischariote, Iob. 20, 5. Melior verò est manifesta correctio, quàm fraudulenta oscula odientis, Proverb. 27, 5.

8. Subjectum quoad personas, seu causam efficientem ratione sectæ: Pharisei. Ut qui præ reliquis voluerunt esse, quod nomen indicat, sancti, & seniores populi, qui ante Christum natum 130. sub Iohanne Hircano, Simonis filio, emerferunt Drus. lib. 2. de sectis Iudæorum c. 7. ubi numerantur septem sectæ eorum. Alij à paraç deducunt, sed rectius à parasch, id est, explanare.

9. Ratione officij; Scribæ. Quorum officium, sacras literas diligenter asservare, evolvere, perscrutari, populo prælegere atq; enarrare; & si quid esset dubij, responsa ex illis dare. Ita ut qui Scriba, etiam Phariseus interdum

95

dum, etiam Sadduceus, uti patet ex Act. 5, 17.
Et 23, 6. Sic Phariseus ratione professionis, scri-
baratione eruditionis. Ut plurimum tamen
distinguuntur, Matth. 5, 20.

10. Et quoad causam impellentem
generalem, dicentes: Hic peccatores reci-
pit. Ubi ipsum non dignantur nomine, sed
tantum dicunt & T. hic. Quo testantur odiū
& contemptum. Quasi improbum simpliciter
foret conversari cum peccatoribus. Et licet lu-
deis mandatum, ut à conversatione gentium
abstinerent, Exod. 23, 32, licet etiam non tan-
genda sit pix, Sir. 13, 1. tamen medicus cum
agrote, praeceptor eruditus cum discipulo rudi,
p̄y cum impiis, si dociles sint, convertibiles &
corrigibiles, omnino debet conversari: ut eos lu-
cretur quisquam 1. Petr. 2, 2. Et ut eos Domini
vias doceat, Ps. 51, 15. Unde, inquit Arden-
tius: Mentiuntur: qui enim peccatorem re-
cipit, is utiq; peccator est; quia qui peccatores
recipit ea intentione, ut corrigantur, ille non
peccatores propriè, sed fratres recipit; uti Pau-
lus jubet Rom. 15, 7. ut omnibus omnia fiant
Christiani, 1. Cor. 9, 19. Non quidem men-
tientes astu, sed compatientes affectu, uti ex-
ponit August. epist. 19. ad Hieron. Nec po-
terat Christus aliter: quia propterea venerat

in hunc mundum, peccatores, non justos, vocare ad poenitentiam, Matth. 9, 13. & 1. Tim. 1, 15. Dicendum potius cum Bernhardo serm. 22. super cant. omnino currimus post te, Domine, audientes, quod nullum spernis peccatorem: Non enim horruisti confitentem latronem, non peccatricem lacrymantem, non Cananeam supplicantem, non publicanum exorantem, non deprehensam in adulterio mulierem, non publicanum in telonio sedentem, non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum, denique non ipsos crucifixores tuos. Nisi quis cum blasphemia voluntarie agnita veritatis & obstinata malitia. Non enim qui peccaverit, sed qui in peccatis perseveraverit odibilis & abominabilis est Deo, August. serm. 58. de Temp.

II. Et specialem: & cibum capit enim illis. Quia prohibitum cum infidelibus cibare, 1. Cor. 5, 11, sed Christus convivabatur cum peccatoribus, non ut peccata eorum probaret, verum ut ab iisdem eosdem sitientes iustitiam potius per veram poenitentiam avocaret; cum audientibus ipsum, non cum contemnentibus. Nam alias vitanda ipsorum familiaritas, ne maculam inuramus professioni Christiana: utque ita nomen Dei male audiat, Rom. 2, 24.
ne

ne communicemus alienis peccatis, Eph. 5, 10. ne nos peccare faciant, Exod. 22, 33. ne nobis sint in ruinam, Exod. 34, 12. Alias Christus ad hoc venerat, ut quod erat impossibile legi adimpleret: quia nemo ex ea justificatur; ex ineffabili misericordia venerat, publicanos ad poenitentiam provocabat, convivium quoque eorum adibat, ut in convivio docerentur, ait Hieron. in epist. ad Damas. Tantum itaque fuit calumnia & invidia, dum omnia in pessimam partem interpretabantur.

12. Partim per exemplum, quod ostenditur in occasione, ubi tum facti Christi per parabolam excusatio v. 3. In quo causa efficiens: dicebat autem. Nempe Christus. Atque ita non avertatur eos tanquam insidiantes & obmurmurantes, sed mansuetè, ait Theophylact. in Luc. tractat. instituitque Apologiam contra suspicionem, & negat sequi illam rationem propter distinctos conversatio- nis fines. Unde licitum est contra calumnias se defendere, uti fecit David, 1 Reg. 24, 11. Paulus, Act. 23, 1. Respondendum enim stulto secundum stultitiam suam Prov. 26, 5. Et, quod habet Basil. M. ep. 63. ad Clericos, ad calumnias conticescere non oportet, non tantum ut per contradictionem nos ipsos defendamus, sed

ut ne mendacio successum permittamus. Et ita eligenda bona vita, ut bonam non negligamus famam, habet Augustin. lib. 4. cap. 28. de doct. Christ.

13. Et materia, quoad objectum: ad illos. Nempe Phariseos & Scribas, cum quibus hic erat ipsi negotium, & quorum murmur, licet non expressum, tamen intelligebat, parabolam hanc dicens. Ita enim sinistras cogitationes Phariseorum invertit, & finem suae cum peccatoribus conversationis ob oculos ponit, ne agrè ferant tantam bonitatis effusionem.

14. Et declaratio, tum in ove perditâ, ubi propositio est ovis investigatio, v. 4. in quo summam interrogatio; quis ex vobis est homo? Ut refutet Phariseorum & Scribarum cogitationem & murmur, universaliter querit; an nimirum aliquis tantum, quicumq; etiam fuerit, quò nemo excipi posset.

15. Et descriptio ab accidentibus, quoad antecedens respectu status & possessionis: qui habet centum oves? Quippe centenarius perfectus est numerus, ideoq; centum allegat; & oves nominat, dum ipse pastor bonus, loh. 10, 20. Alias ille etiam libenter locutus de ovibus; & Ecclesia ipsa comparatur ovili,

99

ovili, ratione defensionis, munitionis & quietis.

16. Respectu casus: Et si perdiderit unam ex illis. Ut facile fieri potest propter ovium simplicitatem & lupi crudelitatem. Et intelliguntur omnes peccatores August. lib. 2. qq. Evang. c. 32.

17. Quoad consequens de presenti, respectu facti: Nonne relinquit nonaginta novem? Sicut David unius oviculae gratia & leonem & ursum animose est aggressus, 1. Reg. 17, 34. Et dicunt nonnulli centum oves omnem creaturam rationalem; unam autem ovem rationalis naturae hominem errantem Theophyl. in Luc. Neque enim negligenda est vel minima rei amissio, dum boni patris familias etiam minima curare. Quod si quis non fecerit, maxima damna sequuntur.

18. Respectu loci: in deserto. Ubi tamen alias variis exponitur grex periculis. Montes & sylvas obire non recusat, obui precipitia, ait Basil. Seleucen. orat. 26.

19. De futuro, ubi motus: & vadit ad illam, quæ perierat. Neque enim ullam periisse bonus pastor & fidelis concedit, propter errantem universum dereliquit gregem, Chrysostr. c. 18. in Matth.

20. Et

20. Et tempus: donec eam inveniat. *Adeo enim sollicitus est in officio suo, ut nihil negligat: Siquidem diligentia probanda, negligentia culpanda.*

21. Et in inventione, quoad facta, ad reliquas est gestatio v. 5. In quo ab effectis, præmittitur tempus: Et cum invenit eam. *Usq; dum enim querit, & patientiam per diligentiam ostendit, nam impatientia facile unam contemneret.*

22. Et modus: imponit in humeros suos gaudens. *Atq; ita non more vulgari ducitur, sed in humeris portatur, quanquam sola inter ceteras oves negotij tantum exhibuerit. Ideoq; cum cognoscamus, inquit Manuel Imperator orat. 6. eam nec paulum quidem progressam; non absre videri possit, cogitationes ejus adhuc quasi bifariam fuisse divisas. Nam consuetudo malum saepe jucundum reddit, ac propterea, qui oviculam servare volebat, in humeris illam portans, pedibus ipse suis alacriter usus pro eâ fuit: ad omnia deniq; simpliciter, quæ illa quidem prestare debebat, sed minime poterat, operam ipse suam confert.*

23. Et de inventâ cum vicinis lætatio, v. 6. In quo declaratio, ubi iterum tempus; veniensq; domum. *Neg; enim semper*
fre-

frequentat desertum, sed tandem cum ovibus suis domum repetit.

24. Et modus: convocat amicos. Atq; ita per prosopopœiam amplificatur pastoris affectus. Et sunt amici, qui voluntatem ejus continuè in sua stabilitate custodiunt, ait Gregorius.

25. Et vicinos; Qui claritate visionis illius, suâ assiduitate parfruentur, habet idem.

26. Et invitatur dicens illis: Gaudete mecum. Quod est boni amici, & fidi vicini.

27. Ratio: quia inveni ovem meam, quæ perierat. Gaudendum enim cum gaudentibus, præsertim ubi antea etiam flendum erat cum flentibus. Et primo suborta miseria, postmodum effluens de inventa lætitiarum copia mœrore medicatur, habet Basil. Seleuc. orat. 26.

28. Et applicatio, v. 7. In quo habetur gaudium summam: Dico vobis, quòd ita gaudium erit. Uti enim pastor propter ovem perditam iterum inventam gaudet, tale etiam probatur.

29. Explicatim respectu loci: in cœlo. Solitudo enim cœlum est, ait Theophylact. in Luc. & à mundano tumultu segregatur.

grega-

gregatum, plenumq; omni tranquillitate & pace.

30. Respectu objecti, per comparationem imparium, à minus probali in genere: super uno peccatore. Qui per ovem intelligitur erroneam. Nam omnes peccatores sunt illa ovis perdita, ait August. l. 38. quest. quest. 65. Deus quidem nos fecerat in Paradiso oves pascui sui, Ps. 100, 3. Sed ovis tum perit, quando peccando homo pascua relinquit, habet Gregor. hom. 34. in Evang. Et ideo erravit, quia vocem audivit alienam, ait Aug. tract. 25. in Joh.

31. In specie: resipiscente. Hoc est quaesita. Etenim ipse animam suam posuit, & proprium sanguinem fudit. Atq; hoc modo quaesivit. Et nihil aliud ostenditur, habet August. lib. 3. Hypognost. in ove illà ex centum ovibus, nisi liberum arbitrium possibilitatis boni, vitio primi homines perditum, à justorum errasse consortio. Nec per se ad cohortem, i. e. ad Paradisum, de quo exivit, fidelium numero resociandum posse reverti, nisi in debità gratià suà, utiq; voluntate suà, bonus pastor Christus, qui pro nobis animam suam posuit, ex deserto errante, hoc est, de isto mundo, in quo homo divini praecepti desertor exsulans est,

es

Et errat libero arbitrio in operibus Diaboli, hu-
 meris suis superimpositum in adiutorium fi-
 dei Et charitatis sua revocaverit. Hoc enim
 ut dixi, inquit August. ipse Deus probat, cum
 in parabolâ voluit hominem intelligi, ovem di-
 dit errasse, qua non sponte redierit, sed à pasto-
 re requisita ad ovile proprium ejus humeris re-
 portata sit. Iniquitates enim nostras Et pecca-
 ta nostra ipse portavit, habet Theophyl. in
 Luc. Ita artes ejus videmus plenas caritatis
 Et mansuetudinis, qua super omnem placidi-
 ratem sunt, ait Basil. Seleuc. orat. 26. Leta-
 tur presentibus, Et quod exerrat, querit, mon-
 tes Et colles oberrat, obit precipitia, cumq; de-
 errante venit in partem errationis. Nec ob
 mores odio inflammat, etsi morbidum com-
 periat; sed mali commiseratione movetur, Et
 subjiciens humeros proprio labore oviculam
 curat laborantem, gaudet ipsa fatigatione,
 ovium inventionem ratus lassitudinis esse le-
 vamentum. Quiq; jam morienti, jam per lon-
 ga exilia deficienti, tamen inventa gaudens se
 supposuit Et miro sibi annisu charitatis à pro-
 funda cogitationis abyssu levavit, piisq; adstri-
 ctam complexibus ad nonaginta novem unam,
 qua perierat, reportavit, ait Augustin. lib.
 medit. cap. 8.

32. Sic ita resipiscit peccator, dum ita
 queritur: non enim viribus suis, ait Aug. in
 Ps. 77. redit ovis perdita, sed in humeris repor-
 tata pastoris, qua se perdere potuit, dum spon-
 te vagaretur: se invenire autem non potuit.
 Nec omnino inventiretur, nisi pastoris miseri-
 cordiâ quereretur. Et aequè discant boni pa-
 stores, studiosè quærere oviculas aberrantes, &
 spiritu mansuetudinis revocare. Etenim,
 iuxta Bernhaldi præscriptum, in sent. cap. 12.
 pastoris vigilare super gregem, propter tria ne-
 cessaria, videlicet ad disciplinam, ad custo-
 diam, ad preces. Ad disciplinam propter mo-
 rum correctionem, ne grex commissus propriâ
 molestiâ deficiat: Ad custodiam, propter Dia-
 bolicam suggestionem, ne hostili seducatur cal-
 liditate: Ad preces propter tentationum in-
 stantiam, ne vincatur pusillanimitate. In di-
 sciplinâ rigor justitiæ, in custodia spiritus confi-
 lij, in precibus affectus compassionis. Debent
 domare lupos, non dominari ovibus, pascendas,
 non premendas susceperunt. Simulq; disca-
 mus, posse venatos excidere gratiâ, quia est
 ovis perdita, & quia David ipse orat, ne Spi-
 ritus Sanctus iterum auferatur, innuens antea
 fuisse ablatum.

33. Quoad majus probabile, ubi ponitur: quàm supra nonaginta novem justos. Qui scilicet tales videbantur. Denotanturque murmuratores, Pharisei & hypocrita, in seipso confidentes, Luc. 18, 9. Et Augustin. inquit in Psal. 2. appellavit sanos justos, non quia Pharisei hoc erant, sed quia hoc esse ipsi arbitrantur.

34. Et describitur: qui non indigent pœnitentiâ. Majus enim de peccatore converso, quàm de stante justo gaudium fuit in cœlo. Quoties benè agim⁹, gaudent angeli, tristantur Demones; quoties verò à bono deviamus, Diabolū letificamus, & angelos gaudio suo defraudamus. Gaudium enim eis super uno peccatore pœnitentiam agente; sed Diabolo super uno peccatore pœnitentiam deserente, habet Augustin. Soliloqu. cap. 27. Gaudent namq; Angeli sancti prospicere in ea, qua evangelizantur. Diligunt, ait Augustin. soliloqu. c. 27. concives suos, p̄ quos sua ruina scissuras restaurari exspectant. Et quia dux in pralio plus eum militem diligit, qui, postquam fugit, reversus hostem fortiter premit, & nunquam aliud gessit fortiter. Sic agricola illam plus amat terram, qua post spinas uberes fruges profert, quàm eam qua nunquam spinas habuit. & nunquam fer-

H

tilem

silem messem. ait Greg. hom. 34. super Evang. Non quasi Deus non delectaretur iustitia & perseverantia iusti, sed quia non verè iusti, aut quia tardius in via iustitia progrediuntur, uti habet Gregor. M. Stant quidem, inquit in via iustitia, sed tamen ad caelestem patriam tam anxie non anhelant, plerunq; pigri remanent ad exercenda bona proficua. At qui multa illicita perpetrasse se meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti, inardescunt magis in amorem Dei, seseq; in magnis virtutibus exercent, flagrans desiderio & ad caelestem patriam anhelant. Et quod se errasse a Deo considerant, damna precedentia lucris sequentibus recompensant. Majus ergo de peccatore converso quam de stante iusto gaudium fit in caelo.

35. Et de drachma amissa, cujus narratio v. 8: In quo persona: Aut quæ mulier. Per mulierem inquit Theophyl. intelligit sapientiam & virtutem Dei, & Patris Jesum Christum. Potest etiam intelligi Ecclesia, quæ sic nomine mulieris in sacris intelligitur.

36. Tum materia ratione possessionis: habens drachmas decem. Per quas Gregor. novem ordines Angelorum intelligit; & ut compleretur electorum numerus, homo decimus est creatus. Nam imago imperatoris est

est homini impressa, ad quam homo primus
erat conditus, Gen. 1, 27.

37. Respectu amissionis, quoad an-
tecedens, ubi casus si perdiderit drachmam
unam. Mulier drachmam perdit, quando
scil. homo, qui ad imaginem Dei conditus erat,
peccando à similitudine Conditoris recessit, ait
Greg. Quando nos non ex parabolis materias
commentamur, ait Tertull. de pudic. cap. 9.
sed ex materiis parabolis interpretamur, nec
valde laboramus omnia in expositione torque-
re, dum contraria quæq; caveamus.

38. Quoad modum ab effectu: non-
ne accendit lucernam? Per predicationem
Evangelij, quod est lucerna pedibus nostris, Ps.
119, 105. 2. Pet. 1, 19.

39. Et everrit domum. Scopis legis,
idq; arguendo, comminando, conterendo, Rom.
3, 20. 2. Cor. 7, 10. Domus enim everritur cum
consideratione sui reatus, humana conscientia
perturbatur, ait Gregor.

40. Consequens, ubi iterum modus:
quæritque diligenter. Neq; enim vult, ut pe-
reat, ut testetur sollicitudinem Ecclesie.

41. Et tempus: donec inveniat. Quip-
pe nil intermittit, quo iterum, quod amissum
erat, restituatur. Ideoq; discam 9, sollicitudinem
sine diffidentia non esse prohibitam.

42. Et cum vicinis communicatio, v. 9. in quo declaratio, ubi tempus: & cum invenerit. Propterea enim quarit, nec desinit usq; dum drachma inventa. Ut discamus, officii sedulitatem & fidelitatem non intermittendam esse, at omnia propter edificationem, 2. Cor. 12, 19.

43. Et modus: convocat amicas & vicinas. Plane enim inventa drachma regia scil. imago, gaudium fuit & Christo è supernis virtutibus, quæ amica & vicina sunt. Amica quidem ait Theophyl. in Luc. quia sunt incorporeæ. Ut discamus gaudere, si homines ad Deum convertantur. Ita fecit pater prodigi, hoc cap. v. 23. ejusq; amici, 24. Jonathan, 1. Reg. 20. 23. vicina Elisabetha, Luc. 1, 58. quia charitas congaudet, 1. Cor. 13, 6.

44. Et ratio: quia inveni drachmam, quam perdideram. Non autem mediocris hæc drachma, inquit Ambros. lib. 7. in Luc. in qua Principis est figura. Et ideo imago regis census est Ecclesie.

45. Applicatio, v. 10. In quo describitur gaudium per effectum ratione loci: Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis. Letantur enim cæli & qui illic Angeli, pœnitentia hominis. Hæc igitur, monet Tertull. de

de pœnit. cap. 8. tu peccator, bono animo sis, ubi de tuo reditu gaudeatur. Nempe quoties bene agimus, inquit Bernhardus serm. 3. super Cant. gaudent Angeli. Usurpemus itaq; officium, quorū sortimur consortium. Et gaudent angeli: primo quidem Angelus ille magni consilij, Es. 9, 6. Christ 9, eo quod videt redemptionis sue pretium in tali non periisse. Latantur Angeli pacis, i. e. concionatores, Es. 33, 7. quia vident laborem suum in Domino non fuisse inane, 1. Cor. 15, 58. gaudent Angeli cœlestes, societati suæ restituere eos, qui hactenus Satanae potestati subiecti fuerunt, quodque in locum deficientium Angelorum plures sodales recipiuntur. Imo cum Angelorum voluptas voluntati Dei sit conformis, Angeli in cœlis agunt hilaria, ubi comparuit peccatoris pœnitentia.

46. Ratione objecti, super uno peccatore resipiscente. Ut exprimeret, ait Tertull de pudic. c. 7, adversus livorem Phariseorum, suam gratiam & benevolentiam etiam circa unum Ethnicum. preposuit unius peccatoris salutem ex pœnitentia, quam illorum ex iustitia, ut pateat argumentum Phariseorum, laborare consequentia: Nam Christus in eum sinem versabatur cum peccatorib9, ut errantes quareret, & ex errore reduceret.

H 3

NOTE

NOTÆ.

I.

Pharisæi murmurabant] Considera *ma'itiam mundi, qui bonitate Dei, & aliorum exemplo fit peior; ut discas mundi esse murmurare aduersus bona.*

II.

Ovem imponebat humeris] Considera *charitatem Christi, qui uniuscujusq; peccatoris peccata portavit; ut dicas redamare eundem.*

III.

Gaudium erit super uno peccatore] Considera *peccatorem pœnitentem excitare gaudium in cœlis; ut discas pœnitere, si velis Angelos gaudere.*

CASUS.

An teneatur doctor Ecclesiæ vel scholæ relinquere alios & querere errantes?

Affirmativa concludenda videtur, 1. *quia Pastor Luc. 15, 4. ita facere legitur.*

2. *Quia in sacris nōs cūxg i visse, & docuisse dicuntur, Act. 20, 20, 1. Thess. 2, 11 3.*

3. *Quia*

3. Quia jura volunt, quo & procura-
tor de levissima culpa teneatur l. 11. 13. 21.
C. mandati. Et jubent ne quid negligatur,
arg. l. 3. ff. de off. Præsidis. & l. 13. h. t. so-
licitè agat eosq; conquirat.

4. Et jam Jesuitæ inter Catholicos hoc
faciunt; & apud alios populos sunt denun-
ciationes das rügegerichte / inquisitiones
ex l. 1. §. 24. ff. ad Senat. Sillan. l. 4. ff. ad
Senat. Turpil.

Contra 1. unusquisq; debet in voca-
tione manere sua, & plerorumq; habere ra-
tionem: quia qui foris: nihil ad nos inquit
Paulus 1. Corinth. 5. 12. Deinde culpa est
immiscere se rei alienæ l. 36. ff. de R. I. qd
fit si extra jurisdictionem & vocationem
quis agat suam.

Deinde uti Politicus non debet Eccle-
siasticis misceri, ita nec Ecclesiasticus
vel alius extra territorium suum agere, l.
ult. ff. de jurisdic. Etiam c. lator 5. qui
filii sint legitimi. Tandem non habetur
mandatum neq; exemplum laudabile in
profanis vel sacris.

Ad

Ad contraria 1. Theologia parabolica non est argumentativa. Deinde hoc de Christo potius quam de aliis intelligendum, aut si, non nisi in genere.

Ad 2. tum temporis nondum ubique erant publici conventus; pertinentque potius ad Apostolatium quam ad ministerium. Ipse Apostolus prohibebatur publice docere Act. 19, 9. ut Act. 18, 7. Ideoque privatim docuit. Sic 2. Tim. 1, 16, in aedibus Onesiphori.

Quae Act. 20, 20, habentur, intelligenda sunt non de conventu omnium, sed seniorum, ibidem 17, ubi egit potius de modo docendi cum senioribus, quam quod informaret totam Ecclesiam.

Ad 3. jura agunt de mandatario ad certam causam, ubi, nisi habeat liberam, de aliis non tenetur, in l. 13, praescribitur ubi vel fama vel quis accusat. Unde additur in l. 3. ff. de off. si quid manu commiserint. Alias culpa est argumento l. 19. ff. de Nov.

Jesuitarum 4 factum non probatur, quum contra vocationem.

Ne faber ille boni bonus esse videtur ovilis,
Qui custodit oves, querit & ipse suas:
Et peccatores, hinc accessere telone
Iesum, quo caperent auribus eius epos.
Murmurat at dicens Phariseus scribaq; : tales,
His peccatorum conciba, semper amat.
Sed simili quadam sub imagine taliter infit
Christus, eisq; refert talia verba statim.
Ex vobis quis oves reliquas non linqvit, ut unã
Quereret? exerrans usq; reperta foret:
Ac ubi questam gaudens invenerit, illam
Imponens humeris non ferat ipse suis:
Atq; domum rediens invitet letus amicos,
Dicat & : est mihi, qua perdita, rursus ovis.
Sic dico vobis : in cœlis gaudia summa,
Unus peccator si respiscit, erunt.
Non super undenos novius, quos tedia culpe
Non mutant, cœlum gaudia tanta capis.
Est aut qua mulier drachmam si pdidit, ut non
Accenso lychno querat ubiq; suam?
Verrat & illa domum, queratq; fideliter, usq;
Inveniat; socias convocat inde suas.
Has gaudere cupit, quoniã deperdita drachma
Est inventa, simul gaudeat omnis, auct.
Unus peccator respiscens gaudia, sic et,
Quin potis Angelicis grandia ferre choris.
Pastor ovem, mater drachmam, Pater optime,
Amissum rursus, suscipe quare, juva. (meq;
Talia

Talia sollicitè jam ZIMMERMANNUS Eoptat,
Pergat! ovilis erit na faber ille bonus.

Vovet GUEINZIUS.

Aus 1. Cor. 3/4.

Der selbe bauet wohl/ so sucht den rechten grund/
Er ist selbst Jesus Christ. Und so er wird drauf
bauen/

Gold/Silber/Edelstein/wird er mit freuden schauen/
Wie sein bau fest besteht in aller Unglücksstund.

Diß Zimmerman beweist/indem Er lieblich schreibt/
Wie unsre Seeligkeit sey Gott hoch angelegen/
Weil Er sucht selbst das Schaaf so läufft in dē irwegē:
Gott ist Er angenehm so Er den bau fort treibt.

Andreas Merkel.

Diversum est hominis studium, diversa vo-
luptas

Qui Phœbi Musas Mnemosynenq̄, colit,
Hic Colophoniaci numerosa volumina vatis,
Hic legit Ascræi carmina tersa senis.

At magis Christifonos summi penetrare recessus
Sudas, & sanctas discupis ire vias.

Ut valida refecat lignator ab arbore ramum,
Præ cunctis aptum, cum modo struxit opus.

Sic tibi præ cunctis divina volumina, Amice,
Artibus arrident; Imemata sancta probant.

Perge, haud inceptis desiste laboribus, adsit
Sors bona, tunc summi fidus alumnus eris:

Fidus alumnus erit; repeto: Deus omina firmet:
Fabricet ut cæptis, cærulea templa Tibi.

A. Genf Werdâ Misri.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017


EVANG.

CHRIST

HALL

Q2 C






B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



TIARUM
LICARUM

o XXXIV.

ESIDE

D GUEINZIO

i Hallensis

ctore

ndente,

ZIMMERMANNNO

imio Misnico

post Trinitatis

o. Inc. III.



AXONUM

Melchioris Oel-

gely

In unfero.

